

gelus, quamdam inde mutare coepat dignitatem super angelum, licet aliquin ante incarnationem frequenter angeli ab hominibus se adorari sinerent, mihi autem haud difficulter persuadeo, angelum conservum Ioannis se vocasse: *ne feceris: conservus tuus sum*, quia in ministerium custodiendi Virginem, et ei inseriendi ambo a Deo erant deputati. Post conceptionem ergo Filii Dei in virgine utero discessit a Virgine angelus Gabriel, non tantum ut erat nuntius Dei, sed etiam, quod satis probabile arbitror, ut erat custos ipsius Virginis. Vidit enim eam in tantam altitudinem dignitatis devenisse, ut iam inciperet esse Mater Dei, et habere in utero virginali Filium summi Patris, indutum carne humana; atque adeo plane intellexit, nullo modo indigere custodia angeli, quae mater erat regis angelorum: ait enim d.Thomas (*in illa qu. 113*), quod quamdiu pueri sunt in utero matris, non indigent custodia proprii angeli, sed angelus, qui est custos matris, custodit etiam prolem in eius utero existentem, eo quod non est totaliter ab ea separata, sed quodammodo adhuc est aliquid ipsius: quemadmodum idem custos est, qui arborem custodit, et fructum, qui ab ea pendet: in hac autem mirabili conceptione Christi in utero Virginis et converso se res habere debuit, quod mater sequitur conditionem, et proprium statum filii, quem habet in utero; Filius autem Virginis non poterat habere angelum custodem, ut d.Thomas docet (*eadem quaest.art.4*); primo, quia secundum quod homo, regulabatur immediate, et custodiebatur a Verbo divino; secundo, quia quantum ad animam erat beatus, et comprehensor, et consequenter non habebat angelum tamquam custodem, sed tamquam ministrum inferiorem, qui ei inserviret. Idem ergo Verbum divinum, quod

custodiebat, et dirigebat Christum filium Mariae Virginis, erat etiam custos suae integerrimae Matris, iuxta illud Isaiae (c. 37): *Ego Dominus, qui nocte, et die servo eam*.

Ceterum, quae verba angelus Mariae iterum in discessu ab ea salutatns usurpaverit, relicent evangelistae; potuisset tamen iure optimo verba illa Davidis sibi usurpasse (*Psal. 120*): *Dominus custodiat te, Dominus protectio tua: Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum*. Illud tamen tamquam omnino certum puto, angelum discedentem a Virgine maiorem ei reverentiam exhibuisse, quam cum ad eam salutandam eius domunculam ingressus est, quia tunc tantum ad futurae Dei Matris dignitatem electa, nunc vero iam post Christi conceptionem in eius possessione constituta erat, et ideo excellentiori hyperduliae adoratione tamquam veram Dei Genitricem coluit.

Ad extremum silentio non praeteribo eorum interrogationem facere satis, qui quaerunt, quare cum mysterium incarnationis celebratum fuerit post prolata Virginis verba (*Luc.1*): *Ece ancilla Domini*; atque adeo ante discessum angeli ab ea, ut docent Irenaeus (*lib.3.c.3. et lib. 15*), Tertullianus (*lib.de car.Chris.*), s. Athanasius (*ser.de.Deip.*), et d. Damascenus (*l.de.Spir. S.*), quare, inquam, evangelista Christum Dominum fuisse iam conceptum in utero Virginis taciturnus praeteriit. Respondeo mihi videri non praeteriisse; nam cum angelus dixisset: *Ece concipies, et paries*; certe dum b.Virgo ei consentiens respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, satis utique evangelista id recensens, factam fuisse iam Christi conceptionem edixit. Qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## DE SACRIS ARCANIS

# VISITATIONIS B. VIRGINIS

AC DE CELEBERRIMO, QUOD IN ILLA CECINIT, CANTICO

## LIBER SEXTUS

### HOMILIA PRIMA.

*Veteris testamenti arcae domum Obedom visitantis egregiam figuram, Marianam visitationem adumbrantem, adducimus; prius tamen difficultates, quae circa eius historiam occurrunt, enodamus, in illa verba: Exurgens Maria abiit in montana, cum reliquis Mariae visitationem enarrantibus.*

Magnus Gregorius (*in 6. par. homil. in epist. vir.Visit.*) excellentiam divinorum arcanorum, quae in Marianam visitationem simul conflunt, admirans, in haec verba prorupit: *Quod illae honestissimae matronae plenae fide, et Spiritu sancto conveniunt, et multis testimoniis datis, et acceptis ad invicem declarant Messiam praesentem, et exhibitum, et esse hunc Iesum filium Virginis recens iam conceptum, cui infans in utero Elisabeth exiit gaudio inusitato et praeternaturali, illa tanta sunt, et tantorum testificatio, ac confirmatio, ut in tota aeternitate celebrari satis, et exhaustiri cogitatione, et sapientia omnium creaturarum nequeant*. Nos tamen his non dissentientes, si non pro dignitate, pro viribus tantae, divina gratia nobis optulante, multifariam, multisque modis Mariae visitationem illustrare, eiusque arcanae aperire conabimur: prius tamen dubia nonnulla, quae eius historiam concernunt, breviter dissolvemus. Omnes quidem doctores unanimi consensu fatentur, b.Virginem profectam fuisse ex oppido Nazareth, provinciae Galilaeae, ut clare colligitur (*ex cap.1. Lucae*); doctores tamen opinionum diversitate agitantur circa tempus, quo coepit iter facere, et an Ioseph eius sponsa associata perrexerit; et an pedestris, an equestris iverit; et quaenam civilis illa fuerit, ubi erat domus Zachariae, ad quam b.Virgo divertit; ac tandem an recesserit ab illa in partum Elisabeth, an post illum; haec omnia

oportet prius elucidemus, antequam sacerrimae huius visitationis recondita sacramenta reserare aggrediamur. Ad primum ergo accedentes, d. Ambrosius (*sup.c.1.Luc.*), Beda (*in c.1. Lucae*), Origenes (*sup.c.1.Luc.*), et Theophylactus (*super cap.1. Lucae*), docent, beatam Virginem eodem die paulo post angelicam salutationem iter arripuisse in domum Zachariae: ego tamen ex evangelica lectione verosimilius esse colligo, beatam Virginem non fuisse profectam in ipso die angelicae salutationis, sed transactis paucis aliquot diebus: sacer enim evangelista ait (*Lucae 1*): *Exurgens autem Maria in diebus illis: non dixit, in illa die, quod aliquin diceret, si in eadem die discessisset*. Ratio etiam eidem optulatur, quia cum iter illud longum adeo esset, ut Brochardus, et auctor historiae ecclesiae, septuaginta miliarium longitudinem ei assignent, consequens est beatam Virginem praeparatione aliquorum dierum indiguisse ad necessaria pro longo itinere praevenienda, et ut domus suae curam alteri commendaret. An autem pedestris se contulerit, doctores silentio praetererunt; forsitan tamquam rem exploratam relinquentes teneram aliquin virginem, et itineribus minime assuetam, non pedestrem, sed alicui humili ego insidentem, instar Christi Domini, qui super pulum asinae insidens in die palmarum ingressus est Ierusalem. An autem b.Virginem in hoc itinere comitatus fuerit sponsus eius Ioseph, licet multi refragentur, s. tamen Bonaventura (*lib. de vita Christi*) comitem illius fuisse, his verbis clare edocuit: *O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua, et in quo commorantur, et requiescent tales matres, talibus filiis foecundatae: Maria, et Elisabeth, Iesus, et Ioannes: sunt autem tibi magnifici senes, Ioseph, et Zacharias! Quid quaso incunctitatis defuit sancto Ioseph, sive dum novam coniugem in itinere constatit, sive dum in obsequio Elisabeth demoratur; haec ille. Eidem opinioni adhaesit firmissime Isidorus de Insulanis (*lib.de vita s.Iosephi*), anti-*

quus auctor Mediolanensis, ordinis Praedicatorum, qui egregiam ad id rationem adducit: verba eius sunt haec: *Quamvis neminem adfuisse visitationi b. Virginis, et Elisabethae dicitur referant literae, nullus tamen est sanae mentis, catholice ingenii, qui Mariam Virginem, tenerae aetatis, solum domo recessisse asseveraret. Creduntur enim a Nazareth usque ad oppidum Zachariae esse fere quadraginta miliaria. Ratio itaque, officiumque s. Joseph, atque auctoritas nos credere cogunt, visitationi s. Mariae, et Elisabethae, eundem interfuisse. Non enim ratio recta consentit, Joseph quavis occasione, spensam divinitus acceptam dereliquisse, ac passum fuisse Virginem tantam sine se longum iter subire; hactenus ille: describit etiam eidem Laurentius Maselli (de vita b. Virginis lib. 2. et lib. 4. cap. 1), et Salmeron (tom. 3. tract. 10), et Orosius (declamat. 4). Fateor id difficile reddere hanc sententiam, quod si Joseph visitationi interfuisse, et audisset verba Elisabethae, matrem Domini sui Mariam vocantem, minime postea dubitasset de suae sponsae fidelitate; sed huius obiectioni iam responsum dedimus supra lib. IV. de desponsatione Virginis cum Josepho.*

Ceterum de civitate, in qua Zachariae domus sita esset, varia doctorum placita reperio: nam Euthymius censuit, nescio quo solido fundamento, illam civitatem, quae in tribu Iuda erat, Montana appellari, et ideo Evangelista: *abit in montana*: unde Nicolaus de Lira (in *comm. huius loc.*) ait: *Montana proprium est nomen loci secundum quosdam, qui locus, in quo manebat Zacharias, erat altior Galilaea, a qua recessit Maria. Verum haec opinio ex verbis ipsius evangelistae falsa convincitur, quia infra dicit, quod super omnia montana Iudaeae divulgabantur omnia verba haec: non ergo montana erat proprium nomen civitatis. Card. Toletus (super c. 1. Lucae adnot. 116) ait: Quidam alii affirmant esse Bethlehem, eo quod in quodam exemplari graeco se legisse testantur, in civitate David: quae lectio si vera esset, dubitationi non daretur locus, cum eo nomine Bethlehem dicta legamus Ioan. 7. Nonne Scriptura dicit, quia de semine David, et de castello, ubi erat David? cum vero exemplaria fere omnia, et graeca, et latina habeant, civitatem Iudae, sicque antiqui doctores interpretentur, minime censendum est, ubi significari Bethlehem. D. vero Bonaventura (ad c. 1. Lucae), venerabilis Beda, Hugo Card. et Albertus magnus opinantur, urbem illam fuisse Ierusalem, quam per anthonomasiam evangelista vocavit civitatem, quia omnium civitatum optima erat. Sed difficulter id persuadere poterunt: tum quia Ierusalem ad tribum Iuda pertinebat, ut constat ex lib. Iosue, ubi perspicue Ierusalem inter urbes tribus Benjamin adnumerat; civitas autem ubi habitabat Zacharias, civitas Iuda vocatur a d. Luca, idest, in sorte tribus Iuda sita: tum quia Zacharias in civitate sacerdotali habitabat, Ierusalem autem civitas erat regia, non sacerdotalis: tum tandem quia in sacris eloquiis nunquam reperitur, quod Ierusalem sub nomine Montana appellaretur, quin potius semper evangelistae nomine Ierusalem*

illam vocant. At Card. Baronius (in suis *Annal.*) verosimiliter multo putat civitatem hanc, ad quam Deipara se contulit, esse Hebron: erat enim civitas Hebron in montanis Iudaeae sita, et ad sacerdotes pertinebat, ut constat (ex lib. Iosue 21); cum ergo Zacharias sacerdos esset, prudenter ibi commorari creditur. Unde doctissimus Beuxamis hanc opinionem referens, et approbans (in sua *evang. harmonia*), ait: *Sunt tamen alii, qui civitatem hanc unum ex his oppidis esse existimant, quae de tribu Iuda, et Simeon Levitis data sunt, ut scribitur Iosue 21. inter quae Cariatharbe, quae et Ebron in monte Iuda est, Iosue 14. Borchardus vero in descriptione terrae sanctae Zachariae domum sitam fuisse scribit ad vallem Rephaim, non longe a Ierosolymis finibus, sed tamen in montanis: idem satis ostendit, et Nazareth civitatis, et Ierosolymis montes vicinos fuisse, cum et ipsam Ierosolymam, et iter ab Acone versus Eaurum describit. Confirmat idem singulari coniectura, et congruentia, quia civitas haec Cariatharbe, urbem, Arbee, quae accubitum, vel quatuor significat, ut petiti hebraici idiomatis tradunt: dicunt autem nonnulli, civitatem illam ea ratione quatuor appellari, quia quatuor insignes viri, Adamus, Abrahamus, Isaac, et Iacob in ea sepulti iacebant, qui et addunt, forsan urbem illam de tribu Iuda dictam, cum alioquin autem ad tribum Benjamin pertineret, quia David a tribu Iuda oriundus e Philisthaeorum possessione in brachio forti illam tulerat, ut legitur ad c. 5. 2. Reg. Unde recte Martinus del Rio, auctor eruditissimus (in sua *florida Mariana*): Nonne igitur in Cariatharbe rex, quando Christus in acubitu suo? nonne Christus in acubitu suo, quando Maria in Cariatharbe deidit odorem suum? Nonne regi nostro felici hodie in Cariatharbe ingressu, regni sui possessionem auspicianti nomen quadrilaterum, nomen illud tremendum, et ineffabile? Nonne, quae civitas huius regis, vere civitas quatuor literarum? civitas Dei, cuius nomen in omni sermone, et idiomate totidem literarum quatuor? nonne Cariatharbe civitas vere quatuor incomparabilium, cum in ea similia Elisabeth, et Ioannes, Maria, et Iesus? nonne hic Cariatharbe nardum spirat quatuor ex locis, ut humilitatem diffundat in quatuor cardines universi? spirat humilitatem Elisabeth, spirat Ioannes, spirat Maria, spirat et Iesus. O felix Cariatharbe, nequaquam tu minima in uribus Iudaeae: tolle Bethlehem, tolle Ierosolymam, supra ceteras alius caput attollis. Haec a Chano, si hebraeici scriptoribus credamus, condita ante cunctas urbes, Palaesthinam, et Memphim Aegyptiam, multis ante Christum vero natum annis his mille ducentis stetit: hic gigantes stirps Enachim habitaverat: hic Calebus fortissimus, et fiduciae plenissimus in Deum imperavit: hic Iacob, et Lia, Isaac, et Rebecca, Abraham, et Sara, immo et Adam, ut multi opinantur, sepulti iacebant.*

De distantia autem huius civitatis Cariatharbe, sive Ebron ab Ierosolymis, multiplex est auctorum sententia: nam Abulensis (in *cap. 2. Genesis g. 22*) ait, distare octo leucis: Gagnens miliaribus quatuor: Aranda, terrae sanctae

diligens explorator, inquit: *A civitate sancta miliarario uno distat sanctae Crucis templum, ubi hoc templo miliaribus quatuor distat templum alterum, in quo domus est illa, in qua Baptistia in lucem est editus; ad arcus iactum tertium est templum in domo Zachariae extractum. Borchardus tandem (1. part. suae historiae c. 7. §. 68) haec scribit: Ex Ebron tribus leucis contra Aquilonem, parum tamen declinando ad occidentem est Nachal-Escol, idest, Torrens botri, unde exploratores missi a Moysse tulerunt botrum: a Nachal-Escol sex leucis contra Ierusalem est domus Zachariae. Putat autem credibile Clichovens (lib. de visit. Virg.), quod et de Virginis mira pietate facile mihi persuadet, Mariam, antequam Elisabeth inviseret, Ierosolymitanum templum visitasse, ut pro tanto incarnationis in utero eius celebrato mysterio, in domo Dei debitam suo Creatori referret gratias.*

Ad extremum restat iam explicemus, num beata Virgo, evangelista dicente, quod quasi per tres menses in domo Zachariae remanserit: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est domum suam, praesens fuerit partui Elisabeth. Theophylactus (in c. 1. Lucae) quidem minime adfuisse putat, et rationem adhibens ait: Abscedit Virgo propter eorum multitudinem, qui ad partum conventuri erant: indegens autem erat Virgini in talibus versari. Subscribit Rupertus Abbas (lib. 1. in Cant.) dicens: Singulari consilio factum est, ut illa tanti gaudii, tantaque exultationis tempus, quod Ioannis natalis attulit, non expectaret, sed se potius mature subduceret, antequam cognati, vicini, et amici concurrerent, noxaeque puerperae post natum filium ex more gratularentur: placetque haec sententia Card. Toletus (ad *cap. 1. Lucae*), videturque fundamentum habere in contextu ipso historiae evangelicae: tum quia postquam evangelista dixerat, reversam fuisse Virginem in domum suam, mox subdit: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium: tum quia Deipara ad Elisabetham profecta est sexto mense a conceptu Ioanne, et apud illam mansit quasi mensibus tribus, ut ait evangelista; quod aperte indicat non fuisse ibi per tres integros menses: igitur tempore quo rediit in domum, non dum novem menses erant expleti, qui effluere solent inter conceptionem, et partum, et consequenter Elisabethae partui non adfuit.**

Ceterum communiore sanctorum Patrum sententiam sequens opinor, b. Virginem mansisse in domo Zachariae usque ad partum Elisabethae: ita docere d. Ambrosius (in c. 1. Lucae), d. Antoninus (1. p. hi. tit. 5. c. 1), venerabilis Beda (sup. c. 1. Lucae), Glossa interlinearis, et ordinaria, Liranus (in *comment. huius loc.*), Simon Cassianus, Origenes (sup. c. 1. Lucae), Hugo Card. necnon b. Petrus Damianus (ser. de Io. Ba.) ubi ait: *Qui librum iustorum diligentibus oculis inspexerunt, ibi se vidisse testantur, quod ipsa Dei Genitrix felicem puerum primum de terra levavit, et cognatae partum omni prosequuta sit servitute. Immo d. Bonaventura (ad c. 5. vitae Christi) censet, Virginem non solum infantem propriis manibus*

suscipisse, et pannis involvisse, sed et ibidem usque ad Ioannis circumcensionem commoratum fuisse. Ac tandem d. Bernardus (ser. de pri. Io. Bapt.) in eandem sententiam propendens inquit: *Mansit Maria cum Elisabeth usque ad diem nativitatis Ioannis, donec puerum natum sinu beatissimo confoeret, et uno pariete remoto, propinquiore redderet praesentiae Salvatoris. Ratio item huius sententiae suffragatur: nam cum b. Virgo inter alias causas, ob quas Elisabetham visitavit, non infimum locum teneat, ut Ioannem praecursorum Domini videret, ut ait Beda (in c. 1. Lucae), necnon ut antiquiori cognatae, quoad posset, inserviret; certe ad Mariae pietatem, et urbanitatem pertinebat, ut tempore partus, quo magis eius ope, praesentia, et ministerio indigebat, minime discederet, sed potius ad partum levamen Elisabethae adesset: immo ei prolem illi forevet, ut velut de altera Noemi dici posset (Ruth 3): *Suscipit puerum positum in sinu suo, et nutricis, ac genitricis fungebatur officio. Ac tandem, quod et fundamenta oppositae sententiae penitus evertit, cum constat ex evangelica Lucae historia, sexto mense post conceptionem Elisabeth, in eius domum abiisse beatam Virginem, et in eadem etiam quasi tribus mensibus permanisse, certe cum praeter omnes hos dies quidam alii fuerint intermedii, quibus b. Virgo et ad iter se praeparavit, et illud concepit, facile, omnibus bene completis, poluerunt novem integri menses computari, antequam Virgo a Zachariae domo discederet. Ad illud tandem, quod nonnulli quaerunt, quid sit, quod cum Mariae visitatio contingeret prope finem mensis martii, aut in principio aprilis, catholica tamen Ecclesia mense Iulio illam celebret; dicendum est, propterea id fieri, quia cum eo tempore gravi quadam Ecclesiae necessitate ingruente, Urbanus Papa propter ortum schisma, ut b. Virgini animam ad illud de medio tollendum magis suis precibus alliceret, visitationis festum instituit, quod postea Bonifacius IX. confirmavit, eiusque specialem mentionem fecerunt gravissimi Patres, qui ad concilium Basil. convenierunt, ut constat ex sess. 40. illius.**

His, quae ad Marianae visitationis historiam, eiusque celebrationem attinent, sic praelibatis, ad celeberrimam illam figuram aeternae veritatis testamenti, domum Obbededom visitantis, quae adammus illam delineat, sermonem convertamus. Narrat sacra Scriptura (lib. 2. Reg.), celeberrimam fuisse diem illum, in quo rex David iussit sacram testamenti arcam ad locum multo retro tempore praeparatum deferri: illa portabat legis tabulas, virgam Moysis, et manna, quod de coelo descenderat. Comitabantur illam triginta millia pedum, totque ad eius laudem confluerent cantores, ut in septem copiosos choros dividerentur: idolum Dagon contrivit, rex David coram illa tripodians religiose saltavit in eo itinere, domum Obbededom visitavit, totaque eius familia ob felicem in eam ingressum divinis muneribus fuit cumulata, per tres denique menses remansit arca in domum Obbededom. Haec quam apte quae in Mariana visitatione contigerunt, apertissime velut in perfectissimo quodam exemplari nobis ob oculos

ponunt: si enim arca illa incorruptibilibus lignis compacta erat; ecce Mariam virginitalis incorruptione donatam, et cuius corpus communem pulveris corruptionem nunquam agnovit: arca illa tabulas legis intus portabat, prodigiosam Moysis virgam, et manna e coelo delapsum: ecce Mariam ferentem non legis tabulas, sed legislatorem ipsum; non portentosam Moysis virgam, sed potentissimum Dei brachium, per quod facta sunt omnia; non manna de coelo delapsum, sed Filium Dei, qui de regalibus sedibus venit: si arca illa magna virorum cetera eam comitante, eiusque laudes decantante incedebat; ecce Mariam in hoc itinere angelorum caefibus stipatam, iuxta illud (Cant. 3): *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israeli*: si enim David (Psal. 90) ait: *Angelus visus mandavit de te, et custodiendo te in omnibus visis tuis*; quanto magis credendum est mandatum accepisse de custodienda b. Virgine: nam si Tobiam innoceat abeuntem, et redeuntem in protectione a patre suo imperata, Raphael angelus diligenter est comitatus; quanto aequius erat, tenerioris sexus puellam, et alioquin Matrem Dei angelos illam associare, individuosque illius comites fieri? et si regina Saba, ut legimus (3. Reg. 10), magno comitatu ingressa est Ierosolymam, quid de regina coeli, et totius orbis domina non cogitare oportet? ac tandem si Iacob olim iter agens angelorum cuneos illum comitantes intuitus est, illa ut clamaret: *castra Dei sunt haec*; quomodo Christus, cuius imaginem ille ferebat, angelorum satellitum non circumvallatus per montana Iudaeae pergeret, Mariae utero inclusus? Arca illa idolum Dagon longe a se depulit, et in humum prostravit, iuxta illud (1. Reg. 5): *Dagon tacebat pronus in terra ante arcam Domini*: ecce ad ingressum Mariae in domum Zachariae impius Dagon peccati originalis corruit: si deinde David coram arca vihoribus indutus vestibus, et regio splendore deposito saltavi; ecce coram mystica arca Maria Ioannes intra matris claustra tripudiat; Luca dicente (c. 1): *Exultavit infans in utero meo*: si rursus arca domum Obbededom multis beneficiis prosequata est, iuxta illud: *Benedixit Dominus Obbededom, et omnem domum eius*: ecce Maria cognatae domum ingrediente, tot illam numeribus locupletat, ut Ioannes sanctificatus, Elisabeth Spiritu sancto repleta, ac mutus Zacharias ad pristinum loquendum restitutus manserit. Quod si de arca illa sacer textus ait: *Mansit arca Domini in domo Obbededom tribus mensibus*: ecce de hac mystica arca Maria s. Lucas (ibid.) inquit: *Mansit autem Maria quasi tribus mensibus*. Accedit ad haec duplex alia sympathia. Prima, sicut arca testamenti, id referente Lyron ex hebraica traditione (super c. 15. Paral.), quamvis tam propter aureas laminas, quam propter cherubinos ex utroque latere ei adhaerentes, gravissimum ponderis esset, sacerdotes tamen, et levitae quasi onus leve absque ullo gravamine illam gestabant; ita b. Virgo in utero suo portans eam, qui portat omnia verbo suo, nullum prorsus gravamen sentiebat, ut his verbis observavit d. Bernardus (in ser. qui incipit Signum magnum): *Iure illud molestissimum tas-*

*dium, quo reliquae omnes gravidulae labores noscuntur, sola non sensit, quae sola sine libidinosa voluptate concepit: unde et in ipso conceptionis initio, quando pollissimum ceterae mulieres miserabilibus affliguntur, Maria tota laetitate montana descendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethleem, imminente iam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur: id ipsum etiam ante Bernardum docuerant d. Hieron. (epist. ad Marcellam), et d. August. (serm. 11. de Nat. Dom.). Secunda, quia sicut discedente arca a domo Obbededom doluit sine, et tota eius familia de eius recessu; ita quando Maria ab Elisabeth recessit, vehementer stipata, ac tota eius domus doluit, ut his verbis edixit Eusebius Emiss. (ser. 6. Adv. in hist. de B. M. visit. Elis. c. 6): *Libet nunc intueri quantas tunc Zacharias, et quantas Elisabeth lacrymas fuderint, quando Virgo Maria recessit inde, quando gaudium et stella maris in domum suam reversa est: Ioannes quoque, quamvis adhuc in matris utero clausus, in eius discessu non parum doluit, qui in illius adventu tanto gaudio exultavit.**

Cum ergo, fratres, ex dictis innumera bona, quae arcam Dei religiose recipientibus illa contulit, perspicue vobis innotuerint, adducite, quaeso, in domum animae vestrae mysticam hanc Mariae arcam cum Filio suo, ut benedicat vobis, et coelestibus charismatibus repleat: audite, quae fecerit David, cum primum ille agnovit Dominum propter arcam Obbededom domum benedixisse: abiit continuo, et adduxit arcam Dei de domo Obbededom in civitatem David cum gaudio: quia igitur vobis etiam nuntiatur, quod benedixerit Dominus Elisabetham propter Virginis visitationem, abeamus et nos, et adducamus arcam hanc Dei cum gaudio in animam nostram, ut peccata pellat, gratiam conferat, Spiritu sancto repleat, qui cum Patre, et Filio vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA II.

*Recenseri incipiunt causae, quae b. Virginem ad visitandam cognatam suam Elisabeth impulerunt, in eadem verba: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana.*

Divus Antoninus archiepiscopus Florentinus (4. p. summae tit. 15. cap. 29) advertens omnes admirari, quod abscondita Virgo alioquin clausurae, et solitudinis observantissima, in publicum prodiret, iter multorum milliarum conficiens, in hunc modum locutus est: *Miraris fortassis, quod Virgo pudica, solitudinis amica, in penetralibus templi nutrita, tanta honestate praedita, ut neminem circum cognoscat, cuius intuitus ad videndam paternam faciem nunquam fuerunt elevati, quaeque solum Deo in abscondito consuevit ministrare, facta sit peregrina, sive viatrix, et ad domum pergat Zachariae,*

*ubi mansit mensibus tribus, non tamquam eam delectaret aedes aliena, aut pudicitiae froeno soluto, in publicum amet exire; haec ille: quae aperle nos excitat, immo et compellunt, ut causas diligenter investigemus, ob quas b. Virgo ad visitandam Elisabetham permotata fuerit. Antequam tamen id praestemus, explodenda omnino est Theophylacti (in c. 1. Luc.) sententia asserentis, propterea b. Virginem ad Elisabetham profectam fuisse, ut experiens verum esse, quod angelus de sterili Elisabetha iam gravida sibi annuntiaret, fidem suam corroboraret: *Abiit, inquit, Virgo ad Elisabeth, et gaudens de bono cognatae, et volens ut prudentissima, maiori certitudine certior reddi, num vera dixisset qui apparuerat ei, ut ex hoc nec de suo dubitaret: prudens enim cum esset, timebat, ne forte deciperetur, et non ut incredula, sed ut diligens rem explorare volebat*: haec enim Theophylacti sententia, praeterquam catholicis ang exccrari debent, eo quod duo illi haeresiarchae Calvinus et Brentius illam docuerunt, a veritatis scopo longe aberrat, tum quia cum Elisabeth miram Mariae fidem commendaverit dicens: *Beata, quae credidisti*, evidens est non adeo lepidam et languidam fuisse eius credulitatem, ut experimento voluisset illam comprobare, cum ex sententia d. Gregorii (hom. 26. in Evang.) fidei meritum ibi evadatur, ubi humana ratio praebet experimentum: tum etiam quia non potuit timere ne forte deciperetur, cum post illa verba, quibus angelus ei praedixit se concepturam et parturam Filium Dei, certissime agnosceret illam esse verum angelum, et a Deo sibi missum; unde d. Ambrosius (super c. 1. Luc.) hanc luculentem his verbis refellit sententiam: *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina prae gaudio ad montana perrexit*; haec Ambrosius. Eandem et retinuit d. Bernardus (hom. 4. super Miss.) dicens: *Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virgini nunciare conceptum? numquid forte dubiam adhuc, et incredulam oraculo, recentiore voluit confirmare miraculo? obisil; sed ideo sterilis cognatae conceptus Virgini nunciatur, ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Hac igitur falsa explosa sententia, veras causas, quae Virginem ad visitationem hanc perduxerunt, recensere aggredior. Illam omnium pollissimum arbitror, quod cum b. Virgo ex supervisione Spiritus sancti, et Filii Dei conceptione, denuo divini amoris igne succensa magis, ac magis inardesceret, charitatis opera continuo exercere diligenter curavit: unde vener. Beda (in c. 1. Luc. lib. 1. c. 3) dixit: *Typicum exemplum Virgo tribuit, quod omnis anima, quae Verbum Dei mente concepit, virtutum statim celsa cacumina grossu contendat amoris*. Quia tamen amoris, et charitatis opera erga proximum, non solum bona corporis, sed praecipue animae respiciunt, quaedam enim illorum sunt corporalia, quaedam spiritualia, ad utraque b. Virgo in domo Zachariae exercenda animum appulit. In primis ergo, ut egregie adnotavit idem venerab. Beda (hom. de Visit.): *Intravit Virgo domum Zacha-***

*riae, non ut verbum angeli mulieris attestatione probaret, sed ut mulieri provecatae aetatis, Virgo iuvenula ministerium sedula impenderet. Narrat sacra Scriptura (lib. Iudicum), quod quando arbores decreverunt regem eligere, prima, cui regiam dignitatem, ac regale sceptrum obtulerunt, fuit oliva, quia primum, et principalis, quod in rege a subditis desideratur, pietas est, et misericordia, cuius tyrum gerit oliva. B. Virginem olivae comparatam nemo ambigit, cum apud Ecclesiasticum (c. 24) dicatur: *Quasi oliva speciosa in campis*: quia ergo b. Virgine velut mysticae olivae parum ante visitationem fuerat supra illa, ac plusquam regia Dei Matris dignitas collata, ideo primum, quod post acceptam hanc imperialem dignitatem diligentius osentat, charitas est, et misericordia, ut reginam decebat: quare Hugo Card. (super c. 14. Eccles.) explicans praecitata verba: *Quasi oliva speciosa in campis*, de visitatione Virginis illa intelligens dixit: *Pietas trahat eam, quando concepto Salvatore abiit in montana cum festinatione, ut serviret Elisabeth in partu eius. Bene etiam se comparavit olivae speciosae in hac visitatione, quia si, ut Ecclesiasticus (c. 35) ait: *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis*; non potuit non speciosa esse misericordia Virginis erga Elisabetham tempore partus, quo praegnantem gravissimum tribulatur. Apte etiam dixit in campis, tum quia in caespitosa montana abiit ad charitatis opera erga cognatam praestanda, tum ut significaret misericordiae suae sinus, instar camporum, omnibus esse patentes; ad olivas quidem hortorum non cuiuslibet patet ingressus, ad olivas vero camporum nemini interdictum accessus. Observatione deinde dignum est ad hanc rem, quod in eodem capite, ubi b. Virgo olivae se comparavit, galbano etiam se similem dixit: tradit autem Plinius (lib. 24. suae hist. natur. cap. 50), galbanum praesentissimum remedium esse ad iuvandam foeminae in difficili partu: quia igitur b. Virgo inter alia charitatis opera, quae in domo Elisabeth exercuit, illud singulariter fuit, ut tradunt non infimi nominis doctores, ut praeter alia obsequia, quae sedula diligentia ei exhibebat, non solum sua praesentia faciliorem redderet Elisabeth partum, sed etiam ab omni dolore eam immunem faceret, postulataverit enim a Filio suo, ut ab antiqua illa maledictione (Gen. 3): *In dolore paries filios tuos, cognatam suam liberaret, aprie ergo b. Virgo galbano se comparavit, contra difficilem partum miram virtutem habenti: et quidem cum praedictum fuisset ab angelo de Elisabeth partu loquente (Luc. 1): *Multi in natiuitate eius gaudebunt, decebat quidem, ut cum ob eius partum alii gauderent, ipsa etiam omnis doloris experta esset, quae propria eius mater erat. Id certe fecisse b. Virgo mihi videtur, quod pie nunc fieri solet: mox enim inolevit, ad parturientes sanctorum reliquias deferri, ut melius se habeant, facilius ac felicitem prolem in lucem edant; ad eundem quidem modum b. Virgo cognatae suae felicem partum cupiens, detulit et pretiosissimum omnium corporis Christi reliquiam, ut mirabilis praesentiae eius virtus omnes parturientis dolores abigeret.****

Ceterum si altius naturam galbani contem-  
platur, vix quidem nobis aperi, ut de praeci-  
piis operibus charitatis, quae ad spirituale  
Ioannis, et Elisabeth bonum promovendum b.  
Virgo in domo Zachariae praestitit, latius dis-  
seramus. Cum enim Filio Dei gravida esset Ma-  
ria, ac plena eius dote, cupiebat de pleni-  
tudine hac aliis impertiri; et ideo cum pri-  
mum mater Iesu facta est, coepit quaerere non  
quae sua sunt, sed nostram salutem: commu-  
nis namque persona effecta communem causam  
agere coepit, primilias maternae affectionis in  
praecursore sanctificando ostendens. Assertit  
igitur Plinius praecitato loco, galbanum hac sin-  
gulari praedictum esse virtute, ut contra veno-  
sum scorpionis morsum efficacissimum anti-  
doto sit: Ioannes quidem Baptista in utero  
matris delitescens a mortifero serpente, ac ve-  
nifico peccati originalis scorpione graviter e-  
rat sauciatus; b. autem Virgo velut mystica ac  
salutifera galbanus a venenosa illa infectione  
visitationis suae miraculosa salutatione illum  
liberavit, evangelista dicente (Luc.1): *Ut facta*  
*est vox: salutationis tuae in auribus meis, exul-*  
*tavit infans in utero meo: constat autem praeci-*  
*pium huius exultationis causam fuisse prop-*  
*rii peccati originalis expulsionem. Regius pro-*  
*pheta communem tangens originalis peccati la-*  
*hem, dixit (Psal. 53): Posuerunt signa sua, si-*  
*gna, sicut in exitu super summum: hoc est, ut*  
*Theodoretus (super Psal. 83) exponit: Trophaea,*  
*quae signa, et indicia victoriae sunt, locarunt su-*  
*pra portas nostras: quae expositio conformis est*  
*menti d. Hieronymi in hunc modum locum ver-*  
*tes: Posuerunt signa sua in trophaeum manife-*  
*sta in introitu desuper: vere quidem humani ge-*  
*neris hostes super portae nostrae conceptionis,*  
*per quas in hanc vitam ingredimur, peccati ori-*  
*ginalis vexilla fixerunt. Illud tamen singulare*  
*privilegium excimia Christi liberalitas, et mu-*  
*nificentia praecursori suo contulit, ut peccati*  
*originalis hostile vexillum in eo erectum, non*  
*dum, ut in aliis infantibus, per novem aut de-*  
*cem, vel plures menses permaneret, sed illud*  
*paulo post sextum tulit mensem, ad arcemque*  
*captam festinans hostem ab ea expulit, illam-*  
*que sibi recuperavit, ac denuo possidere in-*  
*coepit. Memini quod huic materiae inservire*  
*potest, iure civili statutum esse, ut constat ex*  
*l. naturalium, ff. de acquirendo rerum dominio,*  
*arboris dominum, in qua volucres nidificant,*  
*dominio earum non gaudere, donec manum ad*  
*nidum extendens possessionem illarum capiat:*  
*arbor quidem erat a Domino plantata Elisa-*  
*beth, et hoc copiosam gratiarum imbrem, qua*  
*illam irrigaverat, specialis ratione sub dominio*  
*eius iacebat: volucris tamen Ioannis in ea ve-*  
*lut in nidulo nati, humani generis hostis tyran-*  
*nice possessionem, ac dominium illius acceper-*  
*at, leprosum peccati originalis manum in il-*  
*lum mittens: ut ergo Christus Dominus hostem*  
*ab hac possessione deturbaret, virginis uteri*  
*Mariae ferculo in domum Zachariae delatus,*  
*continuo Ioannem in nido fructiferae illius ar-*  
*boris, Elisabetham intelligit, latitantem aucupa-*  
*tus est, Spiritus sancti manum ad eum exten-*  
*dens, iuxta angelicum vaticinium (Luc. 1.): Spiritu*  
*sancto repletur adhuc ex utero matris suae.*

Tradit praeterea Plinius (eod. loc.), aliam  
praesenti argumento satis congruam galbani  
proprietalem, quod invat ad tussim sanandam,  
ac bene formandam vocem. Vox quidem erat  
Ioannes Baptista: *Ego vox clamantis in deserto:*  
laborabat tamen infestissima peccati origina-  
lis tussi illum impediens, ne debitam vocem  
in laudem Creatoris sui formare possit; b. au-  
tem Virgo iuxta coelestis galbani visitatione  
sua saluberrimum antidotum Ioannis tussi ex-  
hibuit, pectus eius efficaciter adeo emundans,  
ut mox fieret (Marc. 1), *Vox clamantis in de-*  
*serto: parate viam Domini. Ac tandem si ver-*  
*um est, quod non pauci doctores cum Gala-*  
*tino (li. 7. de arcan. c. 9), et Catharino (opus*  
*2. de Christi praedest.) docent, Ioannem Bap-*  
*tistam ex speciali privilegio peccata venialia*  
*numquam commisisse, quod innuere verba illa*  
*Ecclesiae videntur:*

Autra deserti teneris sub annis  
Civium turmas fugies petisti.  
Ne levi saltem maculare vitam  
Flammae posses.

et rursus:

O nimis felix, meretricis celsi  
Nescies labem nivei pudoris.

Id quoque hanc b. Virginis visitationem ei praesi-  
stitisse, galbanus non obscure adumbrat, cui  
haec mirabilis virtus inesse perhibetur, ut tra-  
dit Plinius (l. 19. c. 11. in fine), ut accensa cu-  
lices fugere compellat: certe peccata venialia,  
licet serpentes venefici ac mortiferi non sint,  
culices tamen sunt animam pungentes; quos  
tamen b. Virgo, velut mystica galbanus, visi-  
tationis suae mira virtute polenter a Ioanne fu-  
gavit, et ideo merito in illa cum galbano se  
composit: *Et quasi galbanus evaporavi.*

Ad haec consideranti mihi progressum Vir-  
ginis ad visitandam Elisabeth, ut media eius  
salutatione Sol iustitiae Christus Dominus pec-  
cati originalis tenebras a Ioanne eius filio de-  
pelleret, verba illa (Cant. 6) occurrerunt: *Quae*  
*est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens?*  
*merito in hac visitatione Deipara Maria*  
*aurorae comparatur, quia sicut aurora, quasi*  
*vehiculum est solis, et illum in nostrum he-*  
*misphaerium inducit, ut ab eonebrarum cal-*  
*iginem depellat; ita illa tanquam mystica au-*  
*rorae Solem iustitiae coelesti sui uteri orbe de-*  
*ferens, in Zachariae domum illum induxit, ut*  
*peccati originalis tenebras Ioannem occupantes*  
*penitus exterminaret. Solem diem Ecclesiasti-*  
*cus (c. 43) exurere montes, et radios eos exsul-*  
*flare: Sol exurens montes, radios igneos exsul-*  
*flans, quod propterea dictum arbitrator, quia*  
*cum primum sol oritur, nihil prius, quam al-*  
*tissimum montium cacumina illuminat; non*  
*necis statim atque Sol iustitiae per internam*  
*nativitatem intra Mariana viscera ortus fuit,*  
*continuo verticem altissimi illius montis, hoc*  
*est, superiorem partem animae Ioannis Bap-*  
*tistae, fulgentissimis suae gratiae radiis illumi-*  
*nare coepit, adeo quidem ut emortuam lucer-*  
*nam sub modio uteri materni latente accende-*

rit; unde de Baptista dixit Ioannes (c. 5): *Ille*  
*erat lucerna ardens, et lucens. Contemplor e-*  
*tiam Ioannem, hic velut coelestem arcum, de*  
*quo (Ecl. 43): Fide arcum, et benedic eum, qui*  
*fecit illum: valde speciosus est in splendore suo:*  
*coelestis arcus est Ioannes, speciosus valde in*  
*decore suo, non lunonius, sed Dei nuncius: nam*  
*quemadmodum arcus ex se nubes est obscura,*  
*omnique decore carens, sole autem illum illu-*  
*strante multorum colorum varietate decoratur;*  
*ita Ioannes intra viscera matris latens, velut*  
*nubes erat, gratiae luce carens, at Sol ius-*  
*titiae Christus in hac sacra visitatione Mariae,*  
*pulsis peccati tenebris, gratiae suae splendore*  
*illuminavit, variisque virtutum coloribus exor-*  
*navit: quas quidem sancti Patres admirati,*  
*praeclearissima Ioannis encomia adhuc intra ma-*  
*tristata reliquere: nam d. Petrus Chrysologus (ser-*  
*91) dixit: Fervens nuntius, qui ante gestivit nun-*  
*tiare, quam vivere: impatiens dux, qui ante-*  
*quam perveniret ad corpus, pervenit ad regem:*  
*ante rapuit arma, quam membra: ante actem pe-*  
*tiit, quam lucem: et ut vinceret mundum, vic-*  
*it ante naturam: ipse sine visceribus, viscera*  
*matris exsuscitavit, et quia tardabat corpus, so-*  
*lo spiritu implet evangelizantis officium. Idem*  
*etiam (serm. 88) alia haec praecleara scripsit:*  
*Beatus, inquit, Ioannes, qui ante Dei spiritu*  
*meruit intonare, quam hominis vagire in fetu.*  
*Beatus, qui ante divina possidere meruit, quam*  
*sortiretur mala. Beatus, qui ante meruit coe-*  
*lum scire, quam terram. Beatus, qui antequam*  
*videret praesentia, futura meruit nuntiare. Be-*  
*atus, qui ante Deum capere potuit, quam suo*  
*ipse caperetur a corpore. Beatus et singulariter*  
*beatus, qui antequam sciret quaerere, meritum*  
*conquisivit. Beatus, qui pervenit ad gloriam per*  
*laborem, sed ad labores ipsius gratiae dignatio-*  
*ne descendit: et similia habel (serm. 91): Fide-*  
*sis, quemadmodum Ioannes ante pervenit ad coe-*  
*lum, quam tangeret terram: ante accepit di-*  
*vinum spiritum, quam haberet humanum: ante*  
*suscepit divina munera, quam corporis membra:*  
*ante coepit vivere Deo, quam sibi: ante rapuit*  
*arma, quam membra: et ut vinceret mundum,*  
*vicit ante naturam: antequam Christum praec-*  
*ederet, se praecessit. Accedit d. Ambrosius (ser-*  
*64) haec venuste, et eloquenter dicens: Si pater*  
*Zacharias, cum eum nominavit, vocem rece-*  
*pit, quanto magis nos, cum laudamus illum, e-*  
*loquium promeremur? Videte s. Ioannis me-*  
*ritum. Vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam*  
*reparavit: os, quod angelus alligaverat, Ioannes*  
*absolvit. Respicite, quanta vis sit eius vocati-*  
*onis, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri-*  
*prietatem, populo sacerdotem. Ioannes, ait, est nomen*  
*eius: et mirati sunt universi. Apertum est au-*  
*tem illico os eius, et lingua eius. Deinde d. Au-*  
*gustinus (serm. 20. de sanctis) in laudem Ioan-*  
*nis sapienter dixit: Quod enim, nondum natus,*  
*de secreto materni uteri prophetavit, et capere*  
*lucis iam te velamine et carne literas et Bedem-*  
*plorum mundi spiritu praedicavit, et nobis Do-*  
*minum nostrum de quodam legis utero procla-*  
*marit. Ac tandem d. Bernardus haec de Ioanne*  
*praeconia cepit: Ioannes in spiritu tanquam*  
*angelus eruditur, nimirum tanto propinquior*  
*CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. 1.*

Verbo, quanto vox verbo vicina, cui nulla voce  
alia media, quod fors sonet, oportet infirmari.  
Neque enim Ioannem praedicato, sed inspiratio  
docuit, quem replevit spiritus in utero matris  
suae; vere ardens, et vehementer accensus, quem  
sic praeccepit flamma coelestis.

Ad extremum illud in hac sacra Virginis vi-  
sitatione observandum maxime censeo, quod  
non ivit ad Virginem Elisabeth, nec Ioannes  
ad Christum, sed Deipara ad Elisabetham, et  
Ioannes ad Christum: quod non obscure indi-  
cat, justificationis nostrae initium esse a Chri-  
sto, non a nobis, ut expressis verbis definitivum  
concilium Araucianum II. (can. 25) dicens: *Hoc*  
*etiam salubriter proferetur, et credimus, quod*  
*in omni opere bono nos non incipimus, et po-*  
*stea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse*  
*nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, et fi-*  
*dem, et amorem sui prius inspirat. Etenim cum*  
*omnis peccator cum Davide (Psal. 118) clamare*  
*posset: Errat, stetit ovis quem perit: certe si-*  
*cui pastore errantem ovem non quaerente, fa-*  
*cile illa in luporum fauces venit, ita Christo*  
*non quaerente peccatorem, facile ab immani*  
*illo lupo, saevissimoque leone devoratur. Petro*  
*dicente: Circuit quaerens quem devoret. Idip-*  
*sium etiam ostendit metaphoram illa pulsationis,*  
*qua Deus utitur (Apoc. c. 5): Sto ad ostium,*  
*et pulso: quia aperte docemur, ipsum prius per*  
*gratiam excitantem cor hominis pulsare; de-*  
*inde efficaci eius gratia adjuvante nos illi o-*  
*stium aperire, pulsantemque excipere. Qui sit*  
*honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

### HOMILIA III.

Prosequimur idem argumentum causas a-  
lias assignantes, ob quas tam b. Vir-  
go, quam eius Filius ad visitandam E-  
lisabeth iter arripuerint, in eadem ver-  
ba: Exurgens Maria abiit in montana.

Marianae visitationis dulcissimum tractationem  
prosequentes, praesentem homiliam ex  
quatuor eius causis conleximus, duabus prio-  
ribus ex parte Virginis, reliquis vero ex parte  
Christi se tenentibus. Primam ex parte Vir-  
ginis, pleratis et congratulationis officium fuisse;  
habet visus docuit venerat. Beda (homil. de  
Visit.): *Intrat Virgo domum Zachariae, non*  
*quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed ut*  
*congratulatione de dono, quod conservam recepisse*  
*Elisabetham didicerat. Hanc eandem rationem*  
*Rupertus Abbas (lib. 1. in Cant.) eleganter in*  
*hunc modum illustravit: Habent sancti hoc pro-*  
*prium omnes, qui in veritate sanctum habent*  
*charitatis spiritum, ut ita gratulenter de bene-*  
*ficiis, quae aliis impensa perciperunt, quemad-*  
*modum et de illis, quae sibi met collata sunt;*  
*tunc propriam multos sibi praebere consuevit,*  
*tunc dulcia miscere colloquia, certatimque oppor-*  
*tuna importuna impendere invicem devotas cha-*  
*ritatis obsequia. Quid est hoc, nisi trahere, et*  
*currere in odorem unguentorum Domini? Pre-*  
*stitam erat unguentum, magnum erat benefi-*  
*cium, quod dederat Dominus sterili, conceptum*

tanti viri, qui in virtute, et spiritu Eliae deberet praecere ante Dominum, et quo maior non surrexit inter natos mulierum, tanti ac talis Unigeniti odorem pepererat, talis ac tanti benefici famam, sive nuntiam ab ipso angelo acceperat, et de hoc, sicut de ceteris, quis finis, quae consumatio futura esset, Spiritu sancto docente, magna prophetissa non ignorabat; haec Ruperus. Itaque ex sententia horum Patrum, beata Virgo seniore cognatam visitat, ut ei de accepta gratia ex pietate congratularetur: sic enim Rachel viso Jacob festinans nuntiavit patri suo: sic Iethro Moysen generum suum visitavit in deserto, cum audisset magnalia, quae per eum operatus fuerat Dominus: sic Iochim summus sacerdos de Ierusalem venit Bethaniam, ut videret Iudith insignem viduam, et de victoria ex Holoferne habita congratularetur ei: sic ad Iob ex magna illa calamitate, et tentatione, ad magnas divitias et honores restitutum fratres, et sorores conveperunt, ut congauderent ei: sic demum ad Tobiam seniore, recepto quod amiserat lumine, et reducto filio, consobrini se contulerunt, et Dei beneficium congratulati sunt. Hoc officium nostra in Deum et proximum caritas requirit, ut ne dum in rebus prosperis, sed in adversis fratres visilemus. Quam ardens Paulo desiderium erat, ut fratres inviseret, quos toties in epistolis suis salutavit? Et quidem mandanorum applausus non nisi prosperitatem sequitur, aversatur calamitatem. Ilinc vere poeta:

Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbae?

Vera tamen pietas, ut Maria exemplo suo nos docuit, potius congaudet de felicitate aliena, quam studeat iactare suam, et bona ac mala, quae proximo obveniunt, sibi collata, et illata putat: unde d. Paulus (2. Cor. 12) amore proximi accensus dicebat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Hanc Mariae pietatem praevident Salomon dixit (Cant. 3.): *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrinae, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Ascendit quidem b. Virgo per desertum, cum ad visitandam cognatam abiit in montana: habuit se, ut virgula flexibilis ad pietatem, quam circa Elisabeth exercere ardentur desiderabat; incedebat plena aromatibus myrrinae et thuris, hoc est, mortificationis exercitio, a quo, nec iter agens, vacabat: myrrham enim et thus mortificationis et orationis symbolum esse, nemo diffitetur: cum tandem ait: *Universi pulveris pigmentarii, plenitudinem gratiarum significat, quibus b. Virgo delibata erat, et quae mirum odorem exhalare non cessabant.* Ut enim Horatius dixit:

quo senel est imbuta, recens  
Servabit odorem testa diu:

cui consonat proverbium illud:

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Unde cum b. Virgo ab exordio suae immaculatae conceptionis plena esset Deo, perenni omnium gratiarum fonte, remansit omnium aromatizantium virtutum odoribus respersa. Verum illa Virginis pietas non solum ad congratulationem Elisabeth, sed ad operum exhibitionem se extendit: praegnantium enim cognatae variis modis inservivit, ut non obscure docuit d. Ambrosius, qui ex hac Virginis pia et obsequiosa servitute, in hunc modum foeminas ad similem pietatem cohortatur: *Discite, et vos sanctae mulieres, sedulitatem, quam praegnantibus debetis exhibere: nam cum uniuscuiusque necessitati praesto quis esse debeat, quomodo non magis ei, ad quam ex conditione sexus invitatur? hinc Tertullianus (in Lad uxor.) non excusat mulierem etiam coningatam a visitandis infirmis: Hoc vero, inquit, quam convenientius est, ut secum sibi similem, et in ea potissimum necessitate visitem, in qua multitudine communi omnium matri indiciam agnoscat, ut in dolore pariant filios suos! Quanta quaeso laus obsequium hebraearum, et quod filios servaverint, et suo in parturientis officio minime defuerint? Aedificavit enim Dominus eis domos, et ob hanc causam earum familias nobiles, et splendidas reddidit.*

Secundam causam visitationis Mariae, excendae humilitatis officium fuisse tradit Eusebius Emyssenus (lect. de Visit. Virg.) in haec verba: *Sic Maria ad Elisabeth, Christus ad Iannem, domina ad ancillam, ad sercum Dominus venire non dedignatur.* Ecce Mariam per similem Iesu: sicut enim ille non ministrari, sed ministrare se venisse asseruit, unde pedes discipulorum humiliter lavit; ita Virgo, licet Dei mater esset, non ministrari a cognata, sed illi ministrare satagebat; hinc eleganter Beda (homil. in Visit. Mar.) dixit: *Sanctissima Virgo eandem, quam angelo exhibuerat, humilitatem, hominibus quoque curavit exhibere; et quod maioris est virtutis, etiam minoribus: quis enim noscitur, Virginem Mariam Deo consecratam muliere Deo debita gradum habere potiorum? quis dubitet Matrem Regis aeterni iure matri militis esse praefendam? attamen memor Scripturae praecipientis Eccles. 3: Quanto magnus es, tanto te in omnibus humilia; mox, ut angelus qui loquebatur ei, ad superna rediit, surgit, ac montana descendit, et seniore consistat. Seniore nolenter dixit, ut inde discas senioribus humiliter, ac humilia etiam obsequia libenti animo eis exhibere, memor illius sententiae (Levit. 19): Coram caeco capite conserge, et honoraria personam senis. Quam admissum adeo observabant Laedaemones, ut refert Beuxamis (super c. 1. Luc.), ut apud illos nobilissimus non liceret non ante quoscumque seniores accumbere. Immo tantus honor senectuti quondam delatus fuit, ut illi templum, ac honorabile domicilium dicatur fuerit, ut auctor est Cicero (lib. de senect.) et quod amplius est, ut refert Coelestinus (sup. Missus die. 31), malefactoribus, et homicidis ipsis senes erant velut templa, cum ad illos recurrentes, non secus ac nunc ad ecclesias confugientibus contingit, impunes fiebant. O lacrymandam nostrorum temporum miseriam, quam certe praesumptio, et arrogan-*

tia iuvenum, ac senilis aetatis contemptus reddit non minus timendam, quam cum Roboami tempore reiecto senum consilio, regi iuvenes adhaerent! Audiant istorum aemulatores, quantum Salomon in eos invehatur, qui dicunt (Sapient. 2): *Non parcamus veterano, nec reverentur canos multi temporis.* Memorentur Ieremiam tanquam valde execrandum malum deplorasse (Thren. 4): *Facies senum non erubuerunt, nec miseri sunt.* In memoriam tandem revocant, quod, ut propheta Baruch explicaret pravam cuiusdam gentis indolem, ac corruptissimos mores, non melius id exprimere posse putavit, quam si diceret (Baruch 4): *Non sunt reveriti senem.*

Ceterum ad duas alias causas huius visitationis ex parte Christi se tenentes, de quibus disserere polliciti sumus, accedentes, primam, eamque inter praecipuas, connumerandam censemus, quod cum Christus Dominus divina electione praedestinatus esset in humani generis Salvatorem, in quomodo Zachariae a Matre duci voluit, ut Ioannem sanctificans, et a peccato originali liberans, possessionem muneris Salvatoris caperet. Est enim Christus Dominus ille, de quo David dixit (Psal. 67): *Dominus saluos facienti, et Domini Domini exitus mortis:* ac si dicat: hoc est proprium munus Dei incarnati, hoc est officium eius, ut homines salvos faciat, et a morte peccati extire efficacissime suadeat, et moveat: nisi magis diceret: cum episcopo Christopholitano, ut verba illa: *Et Domini Domini exitus mortis, causam praeserant homines salvandi, quod scilicet ipse per mortem exiit ex hoc mundo ad Patrem; qui expositioni favel translatio d. Hieronymi (super eund. Psal.): et Domini mortis egressus.* Silentissimus igitur Salvator mundi salvandi animas ad domum Zachariae perrexit, ut a Ioanne munus illud exercere inciperet. Atque hinc est quod quemadmodum rex Assuerus majori prosequutus est amore civitatem Susan, quam reliquas imperio suo subactas, quia initium David regni quod possidebat; et quemadmodum David ardentissime amabat civitatem Sion, per anthonomiasiam, et excellentiam vocans illam urbem suam, quia illa prima extiterat inter omnes, quas expugnavit, ac tandem quemadmodum Dominus Aegidius de Albornoz, archiepiscopus Toletanus, oppidum, quod Hispania nominatur *Alcalata*, singulari benevolentia adamavit, quia ex illo primis ecclesiasticis redditibus potius fuerat; ad eundem certe modum, quia Ioannes fuit prima civitas, quam Christus Dominus expugnavit, et in qua primitus omnipotentiam suam salvos facienti virtutem ostentaverat, singularissimo amore illum prosequutus fuit: unde velut torrens gratiarum inundans coelestibus charismatibus illum implevit, iuxta illud (Luc. 1): *Replebitur Spiritu sancto adhuc ex utero matris suae.* Hoc non obscure indicant verba illa Ecclesiastici (cap. 24): *Ego quasi trames aquae immensae de fluvio; ego quasi fluvius Diorix; et sicut aqueductus exivi de paradiso. Dixi: rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Incarnatae sapientiae verba sunt haec, quae de paradiso, idest, Patris pectore, veluti uberrimus

immense aquae ductus, trames sive diorix ad irrigandas plantationes, hoc est, hominum arentes animos, exivit in mundum, in b. Virginem primo influens, gratiae admirabilem copiam induxit. Ad arborem deinde, quam in Elisabeth sterili tera plantaverat, festinas, coelesti donorum optato liquore illam irrigavit, spiritusque complevit, de quo (eodem cap.): *Spiritus, aut, meus super me dulcis: accelerato enim usu rationis butyrum, et mel comedit, ut sciret reprobari malum, et eligere bonum.*

Secundam deinde causam eiusdem visitationis ex parte Christi arbitror esse similitudinem magnam ac singularem sympathiam, quam inter ipsum, et Ioannem futuram fore praecognovit: est enim satis tritum proverbium illud: *Similis similem quaerit, et experientia ipsa non minus comprobatur.* Quid enim Achillis animus compulsi, ut historiographi narrant, ad quaerendum Hectorem; quid Prothogenem movit, ut Apellem videndi desiderio arderet; in quomodo Zachariae (sup. ad Paulin.) Platoni, Pythagorae, et Apollonio efficaciter suasit longissima itinera conficere ad consulendum Architam, et celebres philosophos? nihil aliud certe, quam mira sympathia et similitudo Achillis et Hectoris in armis, Prothogenis et Apellis in pingendi peritia, Platonis et Archytas in philosophiae arcanis percallendis; futura igitur similitudo, et sympathia inter Ioannem et Christum ab illo praecognita causa extitit, ob quam Dominus Ioannem quaeritaret, et visitaret. Hanc autem similitudinem non vulgarem, sed eximiam extitisse inter hos sacros infantes merito mihi persuadent. Uterque adventus prophetaeum vaticinio praedictus fuit: Christi quidem ab Isaia (c. 9): *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; Ioannis vero a Malachia (c. 3): Ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam.* Si de Christo Ioannes (c. 3) ait: *Misit Deus Filium suum;* idem etiam ait de Baptista: *Fuit homo missus a Deo.* Si Gabriel angelus Christi nativitatem nuntiavit; idem certe de nativitate Ioannis Zachariam praemonuit, ut tradidit d. Lucas. Si Christus Verbum esse expressivum Patris; Ioannes quidem vox esse expressiva Christi illum manifestans; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Si de Christo Isaia (c. 11) dixit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini;* de Ioanne evangelista Lucas ait: *Replebitur adhuc ex utero matris suae.* Si Christus ex matre Virgine, natura mirante, concipitur: *Ecce Virgo concepit;* Ioannes etiam ex matre sterili miraculose gignitur: *Hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Si Christus filius est Virginis naturalis; Ioannes quidem eiusdem filius est spiritualis, cum mediante eiusdem salutatione, tanquam divinae virtutis instrumentum, in filium Dei adoptivum regeneratus fuerit: *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in utero.* Si angelum in Christi nativitate dicebant audimus: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator;* angelus etiam de Ioanne dixit (Luc. 2): *Multi in nativitate eius gaudebant.*

Si nomen Iesu coelitus fuit Christo impostum (Matth. 1): *Vocatum est nomen eius Iesus*; Baptistae etiam ex divina revelatione, pater, cum matris esset, coepit loqui dicens (Luc. 1): *Ioannes est nomen eius*: nato enim Ioanne, qui vox erat, vox nata est patri eius. Si Isaias angeli cognomen Christo Domino dedit (Isa. 9): *Vocabitur magni consilii angelus*; eandem Ioanni angeli appellationem Malachias impertivit. Si Christus Dominus splendidae lampadi comparatur, et ardens: *Salvator eius ut lampas accendatur* (Isa. 62); Ioannes ardenti lucernae confertur: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (Luc. 13). Si Christus peccatorum poenitentiam praedicabat (Matth. 3): *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; Ioannes idipsum omnibus clamabat (Marc. 2): *Poenitentiam agite*. Ac tandem adeo persimilis Ioannes Christo exiit, ut multi dubitarent, an ipse esset verus Christus: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* alii vero e contra Christum Ioannem Baptistam esse existimabant; illo enim interrogante (Matth. 17): *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* responsum accepit, nonnullos putasse esse Ioannem Baptistam: *alii Ioannem Baptistam, alii Ieremiam*: et ut uno verbo nulla dicam, eo processit haec mira inter Christum et Ioannem similitudo, ut oportneret evangelistam Ioannem, ne mundus deciperetur, Baptistam verum reputans esse Messiam, expressis verbis, dum evangelicam texeret historiam, haec verba dicere (Ioan. 1): *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Sic enim illum descripsit, et distincti ab increata luce Verbi incarnati, de quo immediate subiunxit (ibid.): *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Haec igitur futura similitudo a Christo praecognita causa extilit, ut ipse Ioannem visitaret, et quodam sympathiae ac symbolicae indolis pondere in eum ille ferretur, et traheretur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA IV.

*Ostenditur iterum Christus Dominus in utero matris festinasse, ut Ioannem sanctificaret; cuius occasione sanctorum Patrum testimoniis palam fit, quam sit Deus ad miserendum proclivis et velocis: De misericordia autem in hac visitatione divinitus collata gaudent Ioannes, Elisabeth, Zacharias, Deipara Maria, Christi humanitas, immo et beatissima Trinitas.*

In hac sacra visitatione, in qua b. Virgo, velut ferulum veri Salomonis, Christum Dominum ad Ioannem defulit, contempletur aeternum Patrem unigenitum suum humana carne recens indulum, his verbis urgere (Prover. 6): *Fili mi, discurrere, festina, suscita ancium tuum*: ac si diceret: *Visita fili futurum tuum amicum Ioannem, idque festinanter, ut cito a pec-*

cati originalis morte ad vitam gratiae illum revoces. Sane Christus, lamquam Patri obedientissimus, festinavit continuo salutaris suae gratiae medicinam ad mortis infirmitatem sanandam illi exhibere; de qua Salomon dixit (Ecl. 43): *Medicina omnium in festinatione nebulae*: festinante enim Maria per nebulam significata, quia sicut nebula solem tegit, ita ipsa humanae carnis nebula, iustitiae solem, aeterni Patris Filium cooperuit, festinante inquam Maria, qua Christus Dominus ferebatur, festinavit ipse, ut Ioannem a diaboli faucibus eriperet. Sed quid quaeso non acceleraret, cui propter summam eius velocitatem Pater hoc nomen imposuerat (Isa. 8), *accelera, spolia detrahare, festina, praedari*: hoc est, a diaboli misera servitute animas eripere propra. In cuius figuram legitimus de Samsone dictum esse (Jud. 13): *Erit enim Nazaraeus ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum*: ecce nunc Christum Patris fortitudinem per fortissimum Samsone significatum, qui ab utero virgineo matris suae coepit liberare Ioannem ab infestissimo hoste peccati originalis. In eo sane illud Isaias (c. 11) portentum impletum intueor: *Delectabitur infans ab ubero super foramine aspidis: et in caverna reguli, qui ablatum fuerit, manum suam mittit*: licet enim frequentius haec verba intelliguntur de Christo infante ab idolorum cultu reges Magos vocante, merito etiam de ipso in utero Matris existente intelligi commode possunt, cum inde omnipotentis virtutis suae manum in cavernam animae Ioannis mittens, in qua peccati originalis aspis, seu regulus iacebat, a veneno huius mortiferi serpentis illum eriperit: persimilis in hoc fortissimo illi Herculi, de quo narrat historiographi, quod infans a matris ubere pendens, dracones mira sua fortitudine suffocabat. Quam veraciter tunc posset Ioannes sibi usurpare verba illa David (Psal. 39): *Dominus sollicitus est mei*: neonem et illa Iob (c. 10): *Vitam, et misericordiam tribuisti mihi, et visitationem tuam custodisti spiritum meum*. In his beneficis Ioanni collatis videtur mihi Christus Dominus fecisse, quod olim imperatores, cum Romam victores ingrediebantur, faciebant: ut enim commemorant Antonius Augustinus archiepiscopus Tarraconensis, et eruditus auctor Guilielmus de Choul (lib. de ant. rel. Rom.), consueverant Caesares auream quandam monetae ingentis quantitates eudere, quae ex alia parte Caesaris vultum et nomen, ex alia praecipua eorum gesta sculpta continebat, huiusque generis numismata non pauca in die ingressus illius populo publice effundebant: ad eundem certe modum Christus Dominus, supremus coeli et terrae imperator, recens mendum per humanae carnis assumptionem in utero Virgini ingressus, coepit coelestia charismata in Ioannem, et Elisabeth, ac in totam eius familiam effundere, quae sane, instar illorum numismatum, Dei faciem sub humana carne latentem referebant, cum divinae solum omnipotentiae sit animas iustificare, et Spiritu sancto illas replere, prout a Christo Domino repleti fuerunt Ioannes, et Elisabeth, ut testatur d. Lu-

cas. Verum huius insignis operis illa celeritatis circumstantia, magna commendatione celebranda venit, dum ad sanctificandum Ioannem Christus Dominus ortum eius non expectavit, sed ineffabili sua misericordia illum praeveniens, ante fecit sanctum, quam natum; ante cultorem coeli, quam terrae; ante Spiritus sancti suavi aera perfrui, quam communi aeris spiramine potiri: ex quo stupendo divinae clementiae opere non possum non ansam sumere ad manifestandos divinae bonitatis thesaurus, quos ea in re mirifice ostentat, quod ad miserendum proclivior, ac pronior, quam ad puniendum est, ut sacra volumina frequentissime praedicant. Verum quia de his longum luxuriosum sermonem in homillis nostris catholicis in universa christiana Religione arcana lib. 2. solum hoc loco eorum, quae sancti Patres in hoc genere argumenti sapienter scripsere, pulchram catenam contexamus. In primis antiquissimus Origenes (hom. super c. 1. Jerem.) cogitandi acumen, et dicendi facundia celebrantissimus, in commentario Ieremiae prophetae haec scripsit: *Deus ad beneficiendum promptus est, ad puniendum autem eos, qui poena digni sunt, dissimulat. Cum possit quippe tacens, et sine contestatione venturi punire eos, quos simul dignos supplicio iudicat, nunquam hoc facit, sed etiam si condemnaverit, dicit, quod sibi semper dicere propositum est, ut liberentur a condemnatione per poenitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum de Scripturis multa possumus accipere, sufficienter incidentia. Nivitate peccatores condemnati erant a Deo: adhuc enim quadraginta dies erat futurum, ut Nivite subverteretur; noluit eos cum silentio Deus punire damnatos, sed iam eis locum poenitentiae, et conversionis, misit prophetam, ut diceret illo: adhuc quadraginta dies, et Nivite subvertetur, qui condemnati erant, non perirent, sed agentes poenitentiam impetrarent misericordiam Dei. Qui in Sodomis, et Gomorrhis iam erant excitio destinati, ut manifestum est ex sermonibus Dei, quos locutus est ad Abraham; atamen quod erat suum, fecerunt angeli, volentes eos salvari, qui se indignos salute iudicaverunt, haec dicentes ad Loth: Est tibi hic aliquis gener, aut filii, aut filiae? Neque vero ignorabant non esse eos secuturos Loth, sed ostenderant suam pariter, et eius, qui eos miserat, benignitatem in homines et amorem. Horum quiddam simile invenimus in Ieremia scriptum esse. Est enim adnotatum tempus prophetae eius, quando coepit prophetae: quisque ergo qui Scripturas legit, sciet, quia coepit prophetae in diebus Iosiae filii Amon regis Iuda, usque ad annum tertiumdecimum regni eius; deinde prophetae in diebus Ioaikim filii Iosiae regis Iuda, usque ad consummationem undecimi anni Sedechiae regis Iuda; et legens didici, quia per tres reges prophetae eius contexta sit usque ad captivitatem Ierusalem in quinto mense. Quid ergo docemur per haec? Condemnaverat Deus Ierusalem propter peccata quae fecerat, et haec erat extrema sententia, ut captivitate relinqueretur; verum tamen cum hominum sit amator, nec quemquam velit perire, antequam depopulationis tempus instaret, misit et hunc prophetam, ut per*

*sermones eius ad poenitentiam converteretur; misit eundem, et sub secundo rege post primum; misit quoque sub tertio. Quid plura? Captivitas iam imminerebat, et adhuc adstrabat Deus, tribuens, ut ita dicam, et ante unam diem, locum poenitentiae: unde scriptum est, usque ad captivitatem Ierusalem, et usque ad quintum mensem prophetasae Ieremiam. Iam hostium vincula retrincherant manus, et nihilominus haec quodammodo dicebat Deus: ecce captivi facti estis, agite, licet sero, poenitentiam; rogare me, et parcam vobis. Possum eruere de captivitate, qui tradidi. Habemus itaque quidem necessaria ex superscriptione ista, quae continet tempora prophetae, quia iuxta suam clementiam exhortatur Deus semper homines ad salutem, ut cessante delicto, etiam captivitas conquiescat. Haec autem et de nobis possumus intelligere, si peccaverimus, et nos captivi futuri sumus. Etenim tradi peccatorem Satanae nihil distat ab eo, quod Iudaei sunt traditi Nabuchodonosor; utique uti illos Deus concessit adversario propter frequentes impietates, sic nos propter peccata, quae fecimus, tradimus spirituali Nabuchodonosor: Quos tradidi, ait Paulus, Satanae, ut discant non blasphemare. Putas, quantum malum est peccare, ut tradamur Satanae captivati animae eorum, qui relinquuntur a Deo? non sine causa, neque sine iudicio Deus relinquit, quos deserit: cum enim miserit pluciam super vineam, et vinea pro vasa altulerit spinas, quid faciet, nisi ut mandet nubibus, ne pluant super eam imbrem? quapropter in proximo est propter delicta nostra, quae nobis concessi sumus, et nos captivi. Futurum est enim, ut si non egerimus poenitentiam, tradamur Babylonibus, qui nos sensibilibus excrucient. Istis iam adiacentibus, sermones prophetarum, sermones legis, sermones Apostolorum, sermones domini Domini hortantur ad poenitentiam, provocant ad salutem; si autem audierimus, credimus ei qui dixit: Et ego poenitentiam agam de omnibus malis, quae locutus sum facere eis; haec enim Origenes. Audiamus nunc d. Hieronymum (in cap. 31. Ose.), qui explicans illa verba: Non faciam iram meam: non converterit, ut desperam Ephraim: quoniam Deus ego, et non homo, ait: Quantum in me est, quantum ego cupio, si errorem veritate correxerit, si me magis amaverit, quam mundum; Deus ego sum, et non homo, lapsis manum porrigam, errantes ad salutem vocabo; et quia sanctus sum, propterea non ingrediar civitatem: post Dominum ambulabo, ad d. Septuaginta, et est sensus: Quia conversum est cor tuum in te, et non secundum peccata nostra fecisti nobis, sed inlutaris tuam clementiam, et nostra delicta non punis, et polliceris te sanctum in nostri medio versaturum, ideo et ego maiorum hominum non ingrediar civitatem, neque ero de numero peccatorum, sed ambulabo post Dominum Deum meum. Hebraei autem ex persona Dei ita edisserunt: non te derelinquam, non ibo ad aliam gentem, neque ingrediar alteram civitatem, post Dominum ambulabunt; haec ille.*

Sed et d. Chrysostomi praecleara verba minime praetermittam, qui (hom. 18. in Gen. 1. 1) ait: *Post peccatum exersit Dominus Adam de paradiso, in quo ostendit simul cum flagello mi-*